

aliud quam terminus, seu res ipsa ut in fieri, nec actio ipsa emanare potest ab agente sine termino per talem actionem procedente, quia ipsa actio emanatio est termini a suo principio, et causalitas mediante qua causa facit terminum. Et licet actio etiam constituat ipsum agens in actu secundo operandi, tamen cum non sit actus independens a termino, sed ad ipsum tendens, ab ipsoque specificatus, nec specificatur ab ipso ut a termino extrinsecus attacto, sicut objectum actus cognoscendi, vel amandi, sed ut intrinsece immutato, et facto sive producto aut converso per talem actionem, necesse est dari ibi actionem, quæ sit tendentia, et factio termini, cum eoque identificetur, alias non erit ipsa actio consummata, neque denominare poterit agentem, nisi cum effectu, seu termino identificetur tamquam factio, et productio ejus, quia essentialiter actio, quæ est accidens, dependet a termino, illumque respicit tamquam id a quo specificatur, et ad quem est via, et tendentia, et causalitas. Rursus, non potest actio ista identificari cum termino, tamquam aliquid consecutum ad terminum, et posterius illo, cum essentialiter sit causalitas, et factio talis effectus, et consequenter sit aliquid prius illo, et respiciat illum ut terminum a se emittendum, et producendum: ergo necessario postulat subjectum antecedenter ad ipsum terminum faciendum, in quo sit talis actio, prout ex parte ipsius rei factæ se tenet, quia talis actio, prout in termino est, et cum illo identificatur accidens est; et sic subjectum postulat: ergo talis res facta aliquid sui præsupponit, in quo subjectetur actio illa, quæ accidens est: ergo non potest esse ex nihilo cum aliquid præsupponat.

XXVI. Dices: Totum hoc in sententia opposita reperitur in creatio-

ne, quia etiam dicunt quod est actio subjectata, seu identificata cum termino, qui creatur tamquam causalitas, et factio ejus, et tamen creat illum ex nihilo: ergo in hac sententia non potest convincere ratio facta quod non sit possibile instrumentum creationis. Et dato quod actio creativa non ponat aliquid in re creata, quod habeat rationem actionis, sed solum actio teneat se ex parte agentis, cur repugnabit quod Deus communicet causæ creatæ instrumentali aliquam rationem actionis longe diversæ ab ea quam videmus in rebus naturalibus, scilicet actionem, quæ non sit motus, nec ex parte termini se teneat, sed solum ex parte agentis, indeque derivet ex se terminum per influxum universalem totius esse.

Respondetur in sententia opposita si admittitur actionem ex parte termini se tenentem esse accidens, non posse salvari quod creatio sit ex nihilo, quia ut ponderavimus articulo secundo hoc ipso quod est accidens, non operatur nisi ut subjectata, et consequenter non facit ipsum subjectum in quo est, sed supponit; et sic non facit omnia non est creatio, quia non est ex nihilo. Unde quantumcumque opposita sententia teneat quod creatio est actio subjectata in termino producto tamquam medium, et via, seu tendentia, et fieri ipsius termini, tamen hoc ipso redditur tam sufficiens implicatio, quam sufficienter per hoc impugnatur præcedens sententia, quod actio illa si est subjectata in ipso termino tamquam factio illius, et tendentia ad talem terminum, oportet quod præsupponat subjectum in ipso termino in quo sit antequam faciat, et producat id quod debet producere; atque adeo non faciat totum quod in subjecto est, quia non facit id quod præsupponit. Quæ consequen-

tiæ sunt ita præcisæ quod quidquid sentiat opposita sententia, tamen implicationem efficacem afferunt ad non ponendum pro creatione actionem quæ accidens sit, et consequenter quod repugnat esse in instrumento, quia in illo non nisi accidens esse potest actio instrumentalis. Sed præterea urget hæc ratio potius in instrumentali causa, et in quacumque causa creata, ne creativam actionem habere possit, quam in Deo, quia sententia opposita quæ ponit creationem esse tendentiam, et viam tamquam quædam causalitas, et quoddam medium, seu fieri ipsius rei creatæ, dicit hanc actionem esse quoddam accidens in re creata emanans immediate a summa, et infinita actualitate Dei; et sic producitur simul cum ipsa re quæ creatur, hoc accidens, seu hic modus procedendi a Deo ex nihilo, tamquam modus quidam agendi, habens participative infinitatem quamdam ex parte modi agendi, quia oritur ex ipsa infinita Dei actualitate, quæ est immediata ratio agendi, et producendi rem sub illo modo. At vero in causa creata, et instrumentali actio identificata cum termino oritur ex virtute, et actualitate causæ, seu actione agentis, quæ accidens est, et inhærens ipsi agenti, ipsumque reducens de potentia ad actum; unde in ipso agente supponitur habere limitationem et restrictionem in modo procedendi, quia se habet ut accidens inhærens, et reducens causam de potentia ad actum; unde influxus secutus ex tali accidente, et identificatus cum termino, non potest esse influxus totius esse, et entis in quantum ens, sed limitatus, et constrictus, sicut ipsum accidens, et ipsa virtus, et actus secundus agentis a quo emanat, nec potest ille influxus etiam participative habere aliquid infinitatis, cum emanet immediate a prin-

cipio limitato, et finito, scilicet a virtute illa, et actu secundo, quæ aliquid accidentale sunt.

XXVII. Unde solvitur secunda replicata, et simul confirmatur nostra ratio, quia videlicet est impossibile aliud genus actionis fingere, quæ sit accidens, et solum teneat se per modum actus secundi ex parte agentis, et non teneat se ex parte termini producti tamquam actio, seu factio identificata cum illo: nam hoc ipso quod accidens est talis actus secundus ex parte agentis se tenens, debet esse dependens non solum a subjecto agente, sed etiam a termino producto, a quo specificatur; unde oportet quod identificetur cum illo, non ut quid consecutum, et posterius termino producto, sed ut factio illius est, et tendentia ad illum, quia prout sic specificatur, dependetque ab illo, quod non currit in actione Dei, quæ est independens ab omni re extra se, et producenda a se, unde non specificatur a termino, nec se habet ut factio identificata cum illo, sed immediate ex se producit, et influit totum esse in rem creatam, non influxu creato rem ipsam faciens, quia talis influxus debet supponere subjectum in quo sit, non illud facere, influxus autem creativus totum facit, et nihil supponit ex parte termini; unde non potest talis influxus esse accidens subjectatus in termino, sed substantia ex parte agentis infiniti, quia si est accidens, supponit subjectum, et non facit, ac per hoc non creat ex nihilo faciendo totum ens. Repugnat ergo quod Deus communicet causæ creatæ, etiam instrumentali, vim, seu actionem, quæ sit accidens, et actione accidentali agat et influat, et ex alia parte quod creet et faciat totum, si quidem hoc ipso quod facit, et influit tamquam accidens, debet influere, ut subjectata, et sic saltem subjectum non

debet facere, sed supponere, cum id quod facit ut subjectata faciat, et ut accidens: si autem supponit subjectum, et non facit illud, non creat.

XXVIII. Denique ex hoc sequitur manifeste explicatio rationis D. Thomæ et efficacia illius quæ consistit in duabus propositionibus monstrantibus implicationem, scilicet quod instrumentum operatur dispositive ad effectum principalis agentis, et secundo, quod effectus factus a creatione, antecedit omnia, quæ in effectu esse possunt, quia producit ipsum esse absolute, ut comprehendit esse potentiale, et actuale, et ita ad hunc effectum nihil potest dispositive operari. Non dicit D. Thomas, quod instrumentum debet dispositionem aliquam operari ad effectum principalis agentis, nec quod debet dispositionem aliquam ponere in ipsa re, quæ est effectus principalis agentis. Nihil horum dixit, sed solum quod instrumentum debet operari dispositive ad effectum principalis agentis, id est, ministerialiter se habendo, et inferiori modo in agendo quam se habeat ipsum principale agens; unde virtus, et influxus principalis agentis debet coarctari, et attemperari ad modum ipsius instrumenti, a quo proxime debet nasci, et exire physice effectus. Quare sufficit ad propositionem D. Thomæ quod instrumentum in modo operandi dispositive, et ministerialiter se habeat, non ex parte rei operatæ, quasi diversam rem producat ab effectu principalis agentis, quæ sit dispositio ad illam, et recipiatur in eadem re vel subjecto in quo fit effectus principalis agentis: hoc enim non dixit D. Thomas, nec ad veritatem propositionis ejus requiritur, quia loquitur universaliter de omni instrumento sive connaturali, sive obedientiali, et solum supernaturaliter elevato, respectu

quorum instrumentorum non requirit D. Thomas quod producant dispositionem aliquam in eodem subjecto in quo fit effectus principalis agentis, ut patet in operatione instrumentali sacramentorum, de quibus dicit D. Thomas III, p. quæst. LXII, artic. I ad II, quod: « Per propriam operationem quam exercent circa corpus quod tangunt, efficiunt operationem instrumentalem virtute divina circa animam, » et sicut dicit infra quæst. LXIV, art. IV ad III, quod ab igne inferni puniuntur dæmones in isto aere, licet actu non alligentur illi igni: et sicut docet 2-2, quæst. CLXXVIII, art. I ad primum, quod per actum immanentem Deus potest operari miraculum in re ad extra; et tamen visio aut cogitatio nihil operantur ex se quod disponat rem ad extra ad effectum principalis agentis. Quare in sententia D. Thomæ dubitandum non est quod non requiritur instrumentalem causam Dei operantis quod habeat operationem quæ proprie, et connaturaliter disponat ad effectum principalis agentis; sufficit quod habeat quaecumque operationem, etiam circa aliud subjectum, et illa divinitus elevetur ad faciendum quodcumque opus Deus voluerit, sive in illo subjecto, sive in aliquo distantissimo: sicut enim potest per ignem existentem Compluti calefacere lignum, quod est Romæ, ita potest per eundem ignem, qui est Compluti, facere miraculum Romæ. Et per humanitatem Christi quæ est in cælo, certum est operari omnes effectus gratiæ, etiam qui fiunt in terra, sicut quando erat in terra pendens in ligno fecit miracula in cælo, obscurando solem.

XXIX. Quod si inquiras: Cur ergo non poterit per operationem quæ hic fit ab homine, vel a ligno creare Angelum, si quidem necesse non est quod operetur aliquid illa actio ins-

trumenti in tali re, quæ creatur, aut in subjecto circa quod fit operatio principalis agentis; et tandem quomodo verificatur quod dicit S. Thomas quod instrumentum operatur dispositive ad effectum principalis agentis, si nihil operatur quod dispositio sit, nec requiritur quod actionem propriam habeat, sed solum operationem, et effectum principalis agentis respondetur quod etiamsi si operatio instrumenti non sit necesse quod operetur aliquid circa subjectum, in quo est effectus principalis agentis, necessarium tamen est quod illa operatio circa quodcumque versetur modo suo, et inferiori ad ipsum Deum, ut principale agens est istius effectus, operetur; et sic etiam respectu objecti distantis, vel non existentis, operetur tamquam operatio accidentaliter exigens subjectum ex parte rei operatæ; atque adeo per modum immutationis procedens, quod totaliter repugnat cum modo creationis, quæ est ex puro non esse, et ex nullo præsupposito. Quare etiamsi instrumentum operetur circa unum subjectum, non tamen potest circa aliud operari modo non immutativo, seu ex nihilo, quia respectu talis operati etiam se habet ut accidentaliter operatio; et sic physice producit illud: ergo ut inhærens termino: ergo ut supponens subjectum, et non ut faciens totum.

XXX. Ex quo sequitur quid sit apud D. Thomam operari dispositive ad effectum principalis agentis, hoc est ministerialiter, et inferiori modo ad ipsam causam principalem, ut jam diximus. Hoc autem secundum duplicem sententiam, dupliciter intelligi potest. Quidam enim, etiam inter Thomistas, tenent requiri ad causam instrumentalem quod habeat actionem propriam vere elicitam a se, et rigorose sump-

tam, quæ licet non operetur dispositionem aliquam per se conducentem ad effectum principalis agentis, sed omnino disparatam, tamen illa elevari potest a Deo, ad operandum quemcumque effectum voluerit, quia virtus principalis, quanto est efficacior, tanto potest uti instrumento minus proportionato, et ita cum virtus Dei sit summa, et cui nihil obstat nec resistit, potest uti instrumento, etiam omnino disparato, et nihil conducente, imo contrario ipsi effectui, sicut potest calefacere per aquam, et in frigidare per ignem, et luto cæcitatem aperire, et alia similia. Et hanc sententiam secuti sumus in physica quæst. XXVI, art. II, ex D. Thomæ et ratione. Alii existimant non requiri ad instrumentum divinum aliquid proprie, et rigorose operans, sed sufficere quaecumque entitatem elevabilem a Deo ad effectum quem voluerit, etiamsi secundum propria nihil operetur. Et utriusque dicunt, sufficere ad instrumentum, quod producat eundem effectum, quem principale agens, sed inferiori modo, et ministerialiter deserviendo, non tamen requiri quod distinctum effectum aut dispositionem ad effectum principalis agentis conducentem producat. Et similiter in utraque sententia salvatur quod instrumentum operatur dispositive ad effectum principalis agentis, licet dispositionem ad illum conducentem non operetur, id est, quod operetur dispositive ex parte modi operandi, licet non ex parte rei operatæ, et hoc sufficit ut opponatur creationi, quia petit subjectum, et supponit, non facit. Nam si teneamus requiri quod ex propria virtute instrumenti procedat aliqua actio ad hoc ut elevetur a Deo, non quidem quia res operata per illam conducat per se, et connaturaliter ad effectum principalis agentis, sed quia conducit ut

verificetur quod instrumentum operatur ultra propriam virtutem, et operationem, manifestum est quod cum talis operatio egrediatur ab instrumento tamquam accidentali quædam operatio, et determinata, atque constricta ad modum proprium suæ virtutis, suæque operationis, necessario operatur per modum operationis subjectæ in aliquo subjecto, secundum quod ex parte termini se tenet, et sic solum per modum mutationis, seu motus se habebit, non faciendo ex nihilo totum ens, sed supponendo aliquid, scilicet subjectum. Si vero teneamus, non requiri actionem proprie dictam, et procedentem a propria virtute instrumenti, sed solum entitatem, quæ obedientialiter elevetur a Deo ad operandum effectum principalem, tamen illa entitas debet operari inferiori modo ad ipsum principale agens, quia instrumentaliter, et ministerialiter ad ipsum, se debet habere, et consequenter illa elevatio, seu virtus quam recipit a principali agente, debet esse participata, et particularizata, et non tam universalis influxus, et tam in actu puro, sicut virtus divina; sed potius ut virtus operans procedendo de actu primo ad secundum. Ergo ille actus secundus non erit ipsa substantia instrumenti, et virtutis ejus, sed accidentalis actio, seu operatio: ergo operans ex subjecto; et sic supponens subjectum, non faciens: ergo contraponitur creationi, quæ est ex non subjecto, et dispositive solum operatur ad talem effectum ex modo operandi.

Ad rationes dubitandi a principio facile respondetur.

XXXI. Ad primam ex p. Suarez dicitur quod ratio D. Thomæ concludit de omnibus instrumentis, quia omnia instrumenta operantur modo inferiori ad principale agens,

et ejus virtutem atque influxum limitando, et trahendo ad modum proprium quo ipsa operantur, licet non omnia operentur dispositionem aliquam conducentem ad effectum principalis agentis, sicut faciunt instrumenta naturalia. Et hoc quod est operari modo illo inferiori, et limitare atque coarctare influxum causæ principalis ad suum modum operandi est dispositive operari ad effectum principalis agentis, non quidem operando dispositive ex parte rei operatæ, quasi dispositionem aliquam ad id operandi, sed dispositive ex parte modi operandi, quia sic limitando, et ad modum suum coarctando influxum causæ principalis, dispositive se habent in ordine ad operandum, quia sic disponunt, seu restringunt ad modum suum, influxum superioris causæ. Nec obstat quod hoc modo etiam causæ secundæ principales dicuntur dispositive se habere ad causam primam, quia limitant, et coarctant ejus universalem influxum. Respondetur enim quod causæ secundæ hoc etiam habent, sed non hoc solum, sed etiam virtute sua operari effectum, assimilando illum sibi, et non virtute causæ primæ, licet influxum ejus requirant tamquam conditionem, et motionem requisitam ut operentur suum effectum proprium. At vero instrumenta hoc solum habent quod est dispositive se habere ad effectum principalis agentis, quia tota ratio operandi in eis est motio, et impressio causæ principalis, et totum quod ex parte sua conferunt ministerialiter se habet, et est limitatio, et coarctatio istius virtutis ad modum proprium, non virtutem exhibent, cui effectus assimilatur.

Ad id vero quod adducitur ex probatione D. Thomæ respondetur, quod probavit D. Thomas requiri ad determinatos effectus determinata

instrumenta, quasi manuducens ex hoc quod manifestum est in naturalibus instrumentis ad concludendum universaliter quod omnia instrumenta debent aliquid operari ministerialiter, et dispositive ad effectum principalis agentis, vel operando aliquam dispositionem ad id conducentem, sicut instrumenta naturalia; vel saltem dispositive se habendo ex parte modi operandi, et ad suum modum trahendo, et limitando influxum causæ principalis, ut instrumenta obedientialia, et elevata a Deo.

XXXII. Ad secundum respondetur distinguendo antecedens. In instrumentis supernaturalibus non requiritur aliqua actio prævia, realiter quod producat aliquem effectum, seu dispositionem distinctam ab effectu principalis agentis, transeat; taliter quod modo proprio limitet, et coarctet influxum principalis agentis ad modum suum operandi, quod est largo modo operari, et dispositive se habere, saltem ex parte modi operandi, nego. Unde patet ad probationes antecedentis: concedimus enim, quod in sacramentis, in igne inferni, in actione immanente quando assumitur ut instrumentum, non est aliquis effectus, seu dispositio facta per virtutem propriam instrumenti in ipso subjecto in quo fit effectus principalis agentis, est tamen aliqua operatio procedens modo illo proprio, et limitato instrumenti; et sic dispositive se habet ad effectum principalis agentis, ut explicatum est. Ad id vero quod dicitur de transubstantiatione quod dicit D. Thomas non esse ex subjecto, respondetur manifeste loqui D. Thomam de subjecto communi utrique extremo, ita quod idem subjectum maneat sub pane, et sub corpore Christi: hoc enim non datur, et in hoc convenit cum creatione: non tamen negat dari

subjectum mutatum, et concursus de uno extremo ad aliud, quia materia panis transit in corpus Christi, et ratione hujus subjecti non manentis, sed conversi potest attingi ab aliquo instrumento ista conversio, ut dicit S. Thomas in iv, distinct. viii, q. ii, art. iii ad iii, quia: «Creatura, inquit, accipit virtutem instrumentalem operandi in id quod in corpus Christi transubstantiatur.» Habet ergo instrumentalis actio aliquid præsuppositum in quod operetur: et sic non ex puro nihilo agit, nec totum agit, sed aliquod subjectum convertit in aliud; et sic ratio communis entis supponitur.

XXXIII. Ad id vero quod dicitur de creatione quod licet accidentalis actio sit, potest tamen ex nihilo producere, et licet supponat subjectum in quo inhæreat, non tamen ex quo educat, jam constat ex supra dictis, quod hoc ipso quod accidens est, debet habere subjectum, non solum ex parte agentis in quantum est actus secundus ejus, sed etiam ex parte rei factæ in quantum est causalitas, et factio, mediante qua res ipsa producit, ut late explicatum est. Repugnat autem quod aliqua actio accidens sit in quantum causalitas, seu factio rei productæ est, et habeat subjectum in quo sit ex parte termini, seu rei factæ, et tamen sit creatio, quia sic non totum quod in ipso termino est, producit, sed aliquid supponit; et sic non potest esse creatio, quia non facit totum, atque adeo neque procedit ex nihilo, neque facit esse quod omnia alia antecedit, quod est esse, ut comprehendit tam potentiale quam actuale, tam secundum communem rationem. Quam secundum particularem. Quare si in subjecto est illa actio ex parte termini, seu rei factæ, etiam ex subjecto est.

Ad inconvenientia allata ex p. Vasquez respondetur.

XXXIV. Ad primum quod intellectus adjutus divino auxilio elevante, seu lumine gloriæ dato transeunter, et per modum auxilii non operatur ut instrumentum Dei, sed ut causa principalis, quia se movet et non pure movetur, cum vitaliter operetur, de quo pluribus egimus præcedenti tomo, disp. xiv. Et dato quod esset instrumentum Dei, non esset de quo in præsentia agimus, quia non est instrumentum ad efficiendum ad extra, sed ad intelligendum; et ideo non requiritur ibi prævia actio ex propriis instrumentis, quia non datur ibi actio transiens operativa effectus, sed pure immanens et intelligens.

Ad secundam instantiam de phantasmate diximus quæst. xxvi phys. art. ii, et quæst. x de anima, art. iii in fine, quod phantasma non habet vim effectivam, sed objectivam, id est, non physicam operationem, sed intentionalem quatenus repræsentat objectum corporeum ipsi phantasiæ, et de se natum est producere aliam speciem, seu repræsentationem, sicut una species formatur ex alia, et emittitur ex alia. Et hæc operatio intentionalis in phantasmate non est de se sufficiens ad producendam speciem intelligibilem, sed id fit virtute intellectus agentis, sic depurantis repræsentationem phantasmatis, supponit tamen aliquid prævium in phantas-

mate, non circa intellectum sed circa ipsam phantasiam cui repræsentat, et inde elicit intelligibilem speciem intellectus agens.

Ad tertiam instantiam de sacramentis, dicimus similiter, ibi non supponi actionem propriam circa animam, bene tamen circa corpus, sicut baptismus corpus tangit, et cor abluit; et sic actionem aliquam supponit. Et licet illa non conducat ad effectum principalis agentis, conducentia se tenente ex parte dispositionis productæ ad principalem effectum, bene tamen se tenente ex parte modi operandi, ut principalis influxus se accommodet instrumento, ut dictum est.

Ad instantiam Molinæ dicitur, quod in securi tota actio attribuitur principali agenti, ut artificiose impellenti, non ut simpliciter scindenti: nam ad scindendum sufficit ipsum acumen securis, etiamsi naturaliter cadat, et non artificiose impellatur. Supponitur ergo aliqua propria actio securis, id est, scindere ex se, etiamsi non artificiose. Aer vero vel aqua calefacta faciunt calorem in vi ignis, vel tamquam causæ principales ex calore recepto, vel supponendo ad modum instrumenti aliquid proprium, scilicet deferre calorem, et sua densitate, vel raritate magis, vel minus modificatur, et crescit, vel temperatur calor.

TRACTATUS DE ANGELIS.

QUÆSTIO L.

DE SUBSTANTIA ANGELORUM ABSOLUTE.

SUMMA LITTERÆ.

Postquam D. Thomas egit de creatione rerum in communi, hic incipit agere de creaturis procedentibus, et de earum distinctione in spiritualem et corporalem, et ex his compositam, quæ est homo.

Et primo agit de creatura pure spiritali, quam antiqui philosophi intelligentiam, theologi Angelum vocant. Et de hoc disputat s. doctor ab ista quæstione usque ad lxiii. Eo ordine et methodo quam in præcedenti tomo circa connexionem partium D. Thomæ expressimus.

Incipit ergo in hac quæstione materiam istam de Angelis a consideratione substantiæ eorum, primo absolute in se, deinde tribus sequentibus quæstionibus de ea comparative, tum ad corpora, quæ assumunt, tum ad motum quem circa locum exercent. Et in hac quæstione in qua considerat substantiam Angelorum absolute, et secundum se, præcipue considerat sanctus doctor ea quæ pertinent ad exclusionem materiæ, et conditionem ejus, sicut quod Angeli sint incorporei, simplices formæ, carentes numerica divisione, quæ sumitur ex materia, licet sint multi in multiplicatione, et numero desumpto ex formæ multiplicatione; ac denique quod sint incorruptibiles, quia etiam corruptio desumitur ex materia.

Igitur in articulo primo ostendit dari substantias omnino incorporeas, id est, quæ neque in se corporeæ sint, neque corpori unibiles, sicut anima nostra. Et probat dari tales substantias, quia datur substantia intelligens, sicut anima nostra, et intelligere de se non indiget corpore, imo tanto est perfectius, quanto magis abstractum est a corpore: ergo dabilis est substantia intellectualis perfecta, quæ corpori non sit conjuncta, et conveniens est quod detur ut universum sit perfectum.

In articulo secundo ostendit has substantias esse simplices, id est, non compositas ex materia, et forma, neque sumpta materia pro materia corporea, quia hæc non dividitur nisi per quantitatem, et partes, quæ longe abest a substantiis incorporeis; neque sumpta materia pro quacumque alia materia, quia operatio intellectualis de se immaterialis est; et sic de se petit substantiam immaterialem si perfecte intellectualis est.

In articulo tertio ostendit Angelos esse in magno numero, non secundum numerum specierum sensibilium, sicut Plato posuit substantias separatas; neque secundum numerum primorum mobilium, id est, cælo-